

APPENDICE

Per il testo della Passio, si segue l'edizione curata da Giancarlo Zichi. La consultazione dei due codici di Montpellier (che non era stata possibile al Motzo) costituisce, infatti, un significativo passo avanti rispetto alle precedenti edizioni.

PASSIO SANCTORUM MARTYRUM GAVINI PROTI ET IANUARI.

1. Ab initio expulsionis de paradisi gloria humanum genus, per carnis desideria, suadente diabolo, Dei respuens amorem, cecitate et errore confusum, eandem carnem ad iniuriam et mortem sui patiendo et delectando sustinuit, quoadusque redemptoris incarnati gratia succurrens, per carnem carnem liberam reddidit et per carnis mortem carnis imperia destruxit. Sed quia redemptor noster hoc humiliter et benignissime facere venerat, carnalium et superbiorum celsitudo superba violenter intumuit et divinam dispositionem pervertere cogitans, ipsum redemptorem spiritualis vie monstratorem et totius nostrę salutis auctorem tormentis et morte crucis afflixit. Et quia scriptum est non est prudentia non est consilium neque fortitudo contra Dominum, cum morte mortem vincere venerat non impedisse, sed perversa mente potius creditur adiuvisse. Nam mortuus et sepultus inferna destruxit, sanctorum animas liberas reddidit et cum immortalitatis triumpho resurgens, immortalitatis gloriam suis patefecit amicis; sedens super omnes cęlos in dextera paterne glorie per ministros orbem cepit advocando convertere et spiritualis vite letitie mancipare. Unde diabolo in filiis diffidentię operante sanctorumque rationalibus assertionibus rebellante, carnales homines, qui a Domino defecerant, servis et martyribus Christi tormenta et mortem ingerere ceperunt. Sed eterni regis milites gloriosi pro capitis sui amore tanto sua membra ad mortem leti dederunt, quanto ipsum caput per temporalem mortem ad immortalitatem processisse cognoverant. Pro celesti namque gloria presentia respuentes elegerunt magis cum Christo eternaliter vivere quam in hoc mundo ad presens infeliciter vivendo gaudere et studue-

runt magis diabolum moriendo vincere quam a diabolo vivendo superari. Ex quorum numero existentes Protus et Ianuarius, in insula Sardinie geniti et in Turrutana civitate nutriti, celestis regni gloriam predicantes fidem Christi atque iustitiam dictis et operibus propalabant. Erat autem Protus presbyter, Ianuarius autem diaconus minister ipsius.

2. Regnantibus itaque Diocletiano et Maximiano Romanis imperatoribus ab eisdem per universum mundum processit edictum ut si quis Christianus fuisset inventus, si fidem Christi non negaret, capite puniretur. Unde factum est ut dum quidam vir nomine Barbarus potestatem acciperet super Corsicam atque Sardiniam, pagani et Christiane fidei inimici Proti et Ianuarii servorum Christi ceperunt diffamare religionem et in ipsa Corsica venientes, ante ipsum Barbarum dixerunt: “Romanorum imperatorum arbitrio preceptum exisse cognovimus: ut si quis Christianus inventus fuisset aut idolis sacrificare cogatur aut mortis pena perdatur. Ecce autem in civitate Turrutana duo viri in monte, qui dicitur Agellus, die ac nocte fidem Christi predicare non cessant. Iube itaque huc ante conspectum tuum eos presentari ut aut idolis sacrificent aut iuxta regale preceptum gladio feriantur”. His auditis preses, missis de ministris suis nuntiis, Protum et Ianuarium sibi presentari precepit.

3. Venientes autem sancti Dei Protus et Ianuarius firma constantia et vultu clarissimo steterunt in conspectu Barbari, dixeruntque ministri: “Ecce quos ante conspectum tuum presentari iussisti”. Intendens in eos Barbarus barbarico vultu et ore crudeli sic sumpsit sermonis exordium: “Unde isti aut quam colunt fidem vel in quo Deo confidunt, qui tanta presumptuosi audacia, tam clara facie assistunt?”. Respondentes autem sancti dixerunt: “Si de genealogia nostra interrogas, in Sardinia sumus nati, in civitate Turrutana que metropolis dicitur, nutriti; si de fide queris, Christiani sumus, trinitatis et unitatis divine fidem colimus, incarnationem Iesu Christi filii Dei et gloriam confitentes”. Quibus preses dixit: “Ignoratis quod a Romanis imperatoribus processit edictum ut Christiani aut idolis sacrificare cogantur aut gladii pena deficiant?”. Responderunt sancti: “Romanorum imperatorum

nos precepta audivimus sed obedire Deo magis oportet quam hominibus: immolantes namque quotidie eterno Deo sacrificium laudis ipsi soli servimus considerantes a lapidibus auxilium petere esse insanissime mentis audaciam. Miramur namque vestram prudentiam ad tantam stultitiam devolutam ut lapides et ligna quę manibus vestris formatis deos credatis et qualiter demonibus qui in ipsis habitant sacrificium offeratis”. Iratus autem praeses responsionis eorum audiens rationem beatum Protum presbyterum iussit confestim in exilium mitti, deportatusque est solus in insula quę dicitur Cornicularia et ibi est in custodia detentus. Beatum vero Ianuarium secum iussit Barbarus ire ut delectatione aliqua et deceptoria suasionem mentem eius posset avertere. Sed miles Christi fortissimus sicut tormenta non timuit, sic eius blandimenta despexit: a fide namque Christi nullo modo potuit averti.

4. Consilio autem accepto, infelix Barbarus, ut ad Sardiniam iret, navem iussit apparari et introiens navem devenit ad portum Turritanum descenditque in civitatem Turrim reducens secum beatum Ianuarium. Beatus autem Protus in insula custoditus die et nocte psalmis et hymnis et canticis spiritualibus Deum glorificabat et deprecans Dominum Iesum Christum ut Ecclesiam suam gubernare et sanctificare dignaretur et universas nationes mundi ad fidei suę culturam converteret, desiderans beatum Ianuarium videre et cum ipso recipere coronam martyrii. Post hec Barbarus, missis suis ministris in insulam Corniculariam, sanctum Protum ad civitatem metropolim iussit reduci.

5. Quadam vero die sedens praeses Barbarus pro tribunali dixit astantibus: “Necessitatis regie predictus officio de Christianis illis in Corsica certum iudicium exercere non potui; nunc autem tempus est ut inter nationes suas exquirantur et ideo nostro conspectui eos facite praesentari”. Et ducti sunt in conspectu ipsius Prothus et Ianuarius. Tunc praeses dixit Proto: “Exilii tui afflictione fatigatus saltem modo cognosce Romanos imperatores esse invictissimos et voluntati eorum disce oboedire; unde tibi optime consulendo, accede et sacrificia diis, et faciam te sedere in throno, pontificem deorum magnorum constitutum cum magno hono-

re”. Tunc beatus Protus plenus Spiritu sancto dixit: “Nos semper te veraci amore diligentes a tue cecitatis errore putamus abstrahe-
re et ad fidem veram redemptoris mundi convertere desideramus,
si consilio nostro fideli assensum volueris prebere. Alioquin pro
certo cognosce quia fidem nostram supra firmam petram firma
mente fundatam de statu suo permutare non potes, ut recedentes
a vivo et vero Deo lapidibus mortuis et demonibus sacrificare
compellas. Nam de illis idolis ad approbrium vestrum dictum
agnoscitur: ‘similes illis fiant qui faciunt ea et omnes qui confi-
dunt in eis’. Nam de redemptore nostro ipso idem propheta dicit:
‘et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei’. Et
quasi rationem reddens adiunxit: ‘quia liberavit pauperem a dia-
bolo et pauperem cui non erat adiutor’. Qui ut nos faceret partici-
pales divinitatis suę in fine seculorum de utero virginali verus
homo processit et voluntarie passus pro salute nostra sub Pontio
Pilato mortuus et sepultus, expoliavit inferos et tertia die resur-
gens, discipulis apparens, immortalitatem ostendens, celos ascen-
dit, sedens ad dexteram Patris totius mundi iura disponit. Ventu-
rusque est in die iudicii iudicare vivos et mortuos et reddere uni-
cuique iuxta opera sua, sanctis suis eterne vitę dabit premia, dia-
bolum cum sequacibus suis in sempiterni ignis demerget incen-
dium”. Preses autem contra hanc rationem respondere non valens
iussit ut foras a conspectu suo proficeretur Protus, Ianuarium
autem vocans ad se et dulciter amplectens constituit ad sedendum
iuxta pedes suos et cepit occulto consilio dicere: “O amatissime
iuvenis quare perdis pulchritudinem personę tuę et florem tue
dulcissime iuventutis? Crede michi et diis ut sacrifices acquiesce
et eris in magno honore inter primos palatii mei. Quod si michi
assentire nolueris diversis penis atque tormentis vos ambos faciam
interire”. Cui Ianuarius respondit : “Tormenta tua pro nichilo
computo quia redemptoris mei coronam quam repromisit expec-
to. Sed quia mentem tuam video in felle amaritudinis et in dia-
bolico consilio permanere, quicquid tibi videtur exerce”. Tunc
Barbarus, iracundia succensus, iussit eos in eculeo suspendi et fer-
reis unguibus radere carnes eorum ut dolore compuncti idolis
hostias offerrent.

6. Cumque videret Barbarus mentes eorum prorsus immobiles et
in ipsis tormentis esultare letitia iussit eos deponi et ad tempus

habere indutias. Tradidit illos cuidam militi nomine Gavino ut eos in artissima custodia conservaret. Cumque ipse Gavinus eos ad custodiam duceret, sancti martyres psallebant dicentes: “Levemus oculos nostros ad montes unde veniet auxilium nobis. Auxilium nostrum a Domino qui fecit celum et terram”. Illis autem sic psallentibus, Gavinus attentis auribus eorum ascultabat psalmodiam. Cumque sancti Dei appropinquarent ad carcerem, Gavinus repletus Spiritu sancto cum lacrimis dixit: “Obsecro vos, sancti Dei, per Dominum Deum vestrum ut ostendatis michi quis sit ille Deus vester, quem vos factorem celi et terre predicatis vel quam gloriam recipere queratis ab ipso pro quo tanta tormenta patimini”. Sancti autem Dei respondentes ex uno ore dixerunt: “O miles gloriose, quid nos de illo interrogas cuius potentiam, virtutem et magnitudinem glorie nec homo neque angelus sufficit enarrare?. Omnipotentissimus enim est atque invisibilis et omnium rerum que in celo sunt et in terra creator et iustus existit, pro cuius amore nos ista tormenta libenter patimur”. Audiens hec Gavinus precepit sanctos absolvi et liberos abire permisit deprecans eos ut pro eo orarent ad Dominum qualiter in eterne vite gloria mereretur cum illis accipere portionem. Sancti autem Dei secesserunt in locis occultis et ad Dominum orabant quotidie ad salutem et gloriam cursum eorum dirigeret. Gavinus autem letus et mentem in Dei amore confortans, desiderabat ad coronam martyrii pervenire.

7. Alterius autem diei summo diluculo preses pro tribunali sedens precepit ut ante conspectum suum assisterent. Euntes autem milites nuntiaverunt Gavino ut homines quos in custodia acceperat presidi presentaret. Surgens autem beatus Gavinus ibat alacer et mente confortatus ait: “Eamus quia pro eis presidi respondebo”. Et veniens ad pretorium stetit in conspectu presidis, cui preses dixit: “Nequissimos illos quos tibi ad custodiendum dedi quare tecum non fecisti venire?”. Respondens autem Gavinus vultu constantissimo dixit: “O preses, per salutem vite tue nequissimos nequaquam voces illos quos si cognosceres iustos et sanctissimos predicares. Servi enim sunt omnipotentis Dei factoris celi et terre et ideo illos tenere non potui. Nam et ego ipse ipsum confiteor, adoro, benedico atque glorifico et pro eius amore ad mortem, si necesse fuerit, fortis inveniar. Rationem enim quam

habes nescio ut pro adorandis idolis mutis et vanis a veri Dei cultura servos Dei segregare contendas. Quis enim umquam Deum agnoscens ita efficietur insipiens ut creatorem suum despiciens et facturam quam ipse fecit adoret? Nam de ipsis dicitur: 'Aures habent et non audient, nares habent et non odorabunt, non clamabunt in gutture suo'. Et de cultoribus eorum dicitur: 'Confundantur omnes qui adorant sculptilia et qui gloriantur in simulachris suis'. Unde tu cum ipsis demonis eternum incurres incendium". Tunc preses furore et ira succensus, sicut leo rapiens et rugens, in sanctum dentibus stridens, iussit carnificibus ut eum arriperent dicens: "Tollite istum a facie mea quia mentis sue est expers et humane rationis extraneus iudico, contemnens precepta invictissimorum principum et mortem quam elegit accipiat sequendo illum quem Iudei crucifixerunt et damnaverunt morte turpissima. Sed ne forte Christiani veniant et pro sancto eum venerentur, ite et decollationis accipiat sententiam iuxta litus maris ut neque corpus eius aut caput eius possit inveniri, de saxosis locis proicite illum". Accipientes autem eum milites summo studio et summa festinatione properaverunt precepta presidis adimplere, martyrium sancti Dei completens ad laudem et gloriam Domini nostri Iesus Christi et ad ostensionem virtutum et mirabilium que omnipotens Deus per sanctum suum ostendere dignatur usque in hodiernum diem ut fideles videant et intellegant et glorificent Deum qui glorificatur in consilio sanctorum magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.

8. Cumque beatus Gavinus ad martyrium duceretur, occurrit ei quedam beatissima mulier fideliter timens Deum in cuius domo beatus Gavinus frequenter fuerat hospitatus; maritus autem illius ad prata secesserat.

Videns autem illa beatum Gavinum amarissime flevit et misericordia mota cucurrit ad eum et fasciolum quo caput eius tegebat porrexit dicens: "Gavine, fidelissime serve Dei, rogo te ut accipias hoc fasciolum quatenus in hora decollationis tue ante oculos tuos facias velamentum". Accipiens autem beatus Gavinus fasciolum perrexit ad locum. Milites autem irridebant mulierem quam sua sponte fasciolum amisisse putabant. Martyr vero Dei gloriosus genua flectens orationem fecit ad dominum dicens: "Gratias tibi ago, clementissime Deus, qui me in numero tuorum fidelium

dignatus es computare, non meis meritis, sed sola tua misericordia, qui non vis mortem peccatoris sed expectas ut convertatur et vivat. Benedico te atque glorifico qui me miserum peccatorem per sanctos tuos Protum et Ianuarium ad agnitionem tuam venire fecisti et tibi militare iussisti.

Deprecor te, clementissime Pater, ut respicias super populum terre huius et in sinu matris Ecclesie congregare dignare, ut cognoscant te et Filium tuum quem misisti Iesum Christum cum Spiritu sancto et glorificent perfectum et gloriosum nomen tuum in secula seculorum. Amen". Cumque ab oratione surrexisset, fasciolum super oculos posuit et inclinato capite dixit: "In manus tuas commendo spiritum meum", accepitque capitalem sententiam et per martyrii gloriam sic migravit ad Dominum. Omnipotens autem Deus in sanctis suis mirabilis magna mirabilia per eum ostendere voluit, qui operatur omnia in omnibus, terribilis et gloriosus. Nam postmodum ipse visibiliter pergens ad speluncam ubi sancti Dei Protus et Ianuarius latitabant longe a loco in quo decollatus est quasi stadio uno obviavit ei vir predictae mulieris nomine Calpurnius, cuius animalia pro pondere fatigata iacebant in terra et cito ire non poterant. Approprians autem Gavinus salutavit eum et erigens a terra confortavit animalia eius reddiditque ei fasciolum, quod ei dederat coniunx sua, dicens: "Infinitas gratias recipiat coniunx tua pro suo beneficio: reddat vobis Deus dignam mercedem". Calpurnius autem reversus venit in domum suam invenitque coniugem suam amarissime flentem. Miratus autem Calpurnius tristitiae causam cepit ab ea exquirere; cui illa dixit: "Gavinum nostre domus dominum Barbarus preses fecit occidi". Cui ille respondit: "Tace mulier et a lacrimis quiesce, quia ista quae dicis falsa esse cognosces. Veraciter namque vivus michi modo apparuit in via et iussit ut hoc fasciolum tibi redderem gratias agendo multiplices". Acceptum autem fasciolum mulier explicavit totum invenitque in eo guttas sanguineas de occisione martyris factas. Credit hoc vir eius si factum esse inclinatisque genibus glorificaverunt Patrem omnipotentem, qui solus mirabilia facit.

9. Beatus vero Gavinus, relicto Calpurnio, ad speluncam ubi sancti erant, festinanter accessit, qui locus suburbanus cognominatur, longe a civitate Turrimana miliaria quattuor, exclaman-

sque Gavinus voce magna dixit: "O sacerdotes Christi et principes martyrii mei fortissimi, quare tantum differtis vestram eterne glorie coronam? Descendite in civitatem et victorie gloriam, quam vobis preparavit Dominus, festinate recipere. Ecce ego Gavinus sum frater et consors vestre glorie et expecto vos quia ad martyrium vos precessi". Audientes autem sancti Dei quod Gavinus martyr existeret et intelligentes quod eos dominus per ipsum ad coronam invitando vocaret, exierunt relinquentes speluncam et cum gaudio magno venientes psallendo descenderunt in civitatem. Nuntiatumque est presidi quod sancti quos Gavinus abire permiserat adessent. Quod audiens, preses gavisus est et sedens pro tribunali eos sibi presentari precepit. Quos cum vidisset, preses dixit: "Ubi usque modo fuistis?". Qui respondentes dixerunt: "Da nobis fideiussorem nostrum Gavinum et ipse ubi nos fuerimus dicet tibi". Preses dixit: "Gavinum magnum factum et iussa principum contemnentem ad Christum vestrum transmisi ubi vos post paululum mittam". Tunc sancti alacriter ex uno ore dixerunt: "Gloria tibi, Deus noster, qui nos tecum esse voluisti"; et confortantes se invicem sancti alta voce dixerunt: "Eamus nos sequamur eum". Quod cum audisset preses dedit super eos sententiam dicens: "Tollite istos amentes hinc et in eodem loco quo Gavinus antecessit eos decollate et Christum, quem semper amaverunt, inveniant occisi". Et cum hec dixisset, iratus de sede surrexit. Sancti autem euntes ad locum martyrii psallebant per viam dicentes: "Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini". Cum autem duceretur, Protus dixit militibus: "Illuc nos ducite ubi Gavinus noster antecessit" et, psalmis completis, pervenerunt ad locum ubi ipse fuerat decollatus. Stans autem beatus Protus orationem fudit ad Dominum et cum sanctus Ianuarius respondisset "Amen", hilari vultu dantes sibi oscula gladio sunt percussi. Venerunt autem viri religiosi nocte et tulerunt venerabilia corpora sanctorum et aromatibus condientes honorifice sepelierunt optimo loco ubi mirabilia multa fiunt ad laudem et gloriam domini nostri Iesu Christi: demonia namque in eodem loco fugantur et omnes homines de quacumque infirmitate tenentur, advenientes ibi confestim beneficium recipiunt sanitatis. Decollatus est autem beatus Gavinus VIII Kalendas novembris; [Protus vero et Ianuarius VI Kalendas eiusdem mensis], imperantibus Diocletiano et Maximiano imperatoribus impiissimis, in suis autem fidelibus regnante Domino nostro Iesu Chri-

sto cui est honor et gloria, virtus et imperium nunc et semper per infinita secula seculorum. Amen.